

## QUINTUS IUVENEM HISPANUM NOVIT

Quodam die Quintus per vias Athenienses otiosus ambulabat. Poculum vini bibere cupiens cauponam quandam intravit. Ibi lepidum iuvenem vino nimis laetum de patria sua longiqua loquentem multaque mirabilia dicentem convenit. Ad eum accedit et "unde venis?" ab eo quaerit, "nonne es tu Romanus?". "Ita est" respondit iuvenis "mihi nomen est Valerius, sed natus sum Italicae, que Hispaniae Baeticae pulcherrima clarissimaque est urbs". Quintus "estne verum?" inquit "esne tu Hispanus? Multa bona de terra illa iam pridem audiveram, sed numquam verum Hispanum novi. Ubi est Hispania? Visne plura de patria tua mihi enarrare?". Valerius libenter faciam" inquit "nam de his rebus loqui plurimum mihi placet".

Tunc Valerius laeto animo sic enerrare coepit:

Hispania pelago undique inctincta est, nisi ea parte qua Gallias tangit. Ibi angusta est, sed paulatim se inter mare Nostrum et Atlanticum oceanum extendit, magis magisque latior ad occidentem abit, et fit illis terris latissima. Tribus autem est distincta nominibus: pars enim eius Tarraconensis, pars Baetica, pars Lusitania vocatur.

Tarraconensis in septentrione iuxta Gallias sita usque ad orientem pergit; flumen Anas Lusitaniam et Baeticam separat; Lusitania Atlanticum oceanum ad occidentem, Baetica mare Nostrum ad meridiem prospicit. Clarissimae urbes in Tarraconensi olim Pallantia et Numantia fuerunt, nunc vero est Caesaraugusta; in Lusitania Augusta Emerita, in Baetica Asigi, Hispalis, Corduba sunt. Aperit deinde se angustissimus pelagus et proxima inter se Europae atque Africae litora montes efficiunt, qui Herculis columnae Abyla et Calpe vocantur. Hispania frugum, olei, vini, equorum feracissima est. Insuper ferro, auro, argento, aere, plumbo, metallisque omnium generum abundat".

Quintus "o, mirabile auditu!" inquit "sed quando Romani in Hispaniam pervenerunt?"